

F.K.67

De vita Godof. Schulze Rector.
Chemn.

Z e
42,10

I. N. J. C. C.

Ad

ACTUM VALEDICTORIUM,

quò

Superioris Anni Victoriæ

in Schola, die 12. April. A. MDCCVII.

post matutina Sacra, publicè repetentur, DEOq;

pro iis gratiæ agentur,

MAXIME VENERABILES
NOBILISSIMOSQVE

DNOS INSPECTORES,
PATRONOS,

ET OMNES LITERARUM FAUTORES,

eâ, qua par est, observantiâ,

invitat

M. DANIEL MÜLLERUS,

Rector Sch. Chemn.

Chemnitii, typis Conradi Stöffelii.





On diu multumq; cogitavi, quale hujus scriptionis argumen-
tum eligerem. Qui perorandi materiam Juvenibus ex Scho-
lâ nostrâ jam discessuris, paucis ante mortem (ô quam flebi-
lem Musis nostris!) diebus suppeditavit, quiq; omnium ab-
solutissimam perfectissimamque brevi reportaturus victo-
riam, victorias superioris anni justis persequi laudibus, ut
sic *vivereis aequa* quasi caneret, iussit, *de illo*, cum *ab illo*
non potuerit, hanc Prolusionem jure scribendam esse existi-
mavi. Est is Vir, cum viveret, *Præcellens, Amplissimus Do-*
ctissimusq; Dn. M. GODOFREDUS SCHULZIUS, de Scholâ patriâ insigniter
meritus. Cujus vitæ ac consuetudinis imaginem ut eâ, quâ fieri potest, brevitate, hic
exponam, complures causæ sunt, quæ me, calcariibus quasi admotis, stimulant. Debeo
enim hoc amori *Collegæ Optimi*, cum quò, quamdiu curarum ac laborum focium me
habuit, conjunctissime ac pro fortis necessitudine vixi, ita, ut cum ipso in gratiam redi-
re nunquam necesse fuerit. Si aliâs Collegæ sapius lædendò existimationem Colle-
garum ad gloriam & honores grassantur, is me filii locò dilexit, & ego Patrem in eo
veneratus sum, cum ambos non latuerit, nullam (quæ *Ciceronis* verba sunt) neq; justio-
rem, neq; gravio rem causam necessitudinis posse reperiri, quam conjunctionem fortis,
quàm officii, quàm publici muneris societatem. Quem ergo in vivis colui, post hu-
jus quoq; funera nil, quod ad ipsius dignitatem videtur spectare, intermittendum puta-
vi. Accedit, quod amicorum nonnulli, quibus tantillum denegare officium nefas du-
xi, per literas à me petierint, ut *B. Schulzii vitæ curriculum Orbi literatò & ipsis non*
inviderem. Quid? quod & omnes, qui ex institutione *Nostræ* longè majori numero,
quàm Viri strenui exequò Trojano, prodierunt, astare mihi, atq; uno quasi ore expe-
tere videbantur, ut ad fidissimi Doctoris memoriam piè inviolateq; servandam, destina-
tata exequi pergerem. His causis commotus non omnia, sed potiora, non quod pos-
sum, sed, quod pagellæ angustia capit, referam. Lucem *Schulzius* in suburbio Chemni-
censi, Anno post Christum natum 1652. die Martii vigesimo, in uteri cœpiti, prognata
Parentibus non nisi opificii quidem, quod legitime exercuerunt, nomine claris,
(Pater enim, Daniel Schulzius, Textor erat) sed honestis, sed vitæ integritate cuilibet
notissimis, quam veram demum nobilitatem censent prudentiores. Hic non dissimu-
landum, quàm inusitata divinæ providentiæ documenta *Nostræ*, cum adhuc embryo (1)
esset, senserit. Mater ad flumen cum oppido nostro idem nominis habens, tempore
hyemali, aquatum abiens, glacie vestigium fallente, prona cecidit, atq; primo gravi-
dum uterum in palum fluvio proximum impexit, deinde in aquam illapâ agrè, salicis
propinquæ adminiculo, servavit vitam & suam & fœtus adhuc materni corporis com-
pagibus inclusi, cujus tamen manus sinistra vehementi lapsu ateo læsa fuit, ut, sicuti post
partum apparuit, paullo brevior evaderet dexterâ. Quem corporis defectum egre-
giis ingenii animiq; dotibus provida compensavit natura. Erat enim in puero, *quod*
de Attico Nepos dicit, tanta docilitas ingenii, ut celeriter, quæ tradebantur, arripere:
quæ res & Parentes optimos movit, ut fidelissimis Præceptoribus eum fermandum sin-
gendumq; traderent, ac studiis, ad quæ puer manuariis artibus non satis aptus, ipso vo-
lente DEO, natus videbatur, consecrarent. Equidem vix decennis Patre orbatus non
exigua cursui suo impedimenta objecta esse, non sine summò animi dolore, cernebat.
At Deus ipse Patris suscepit vices. Hic matrem servavit, hic *Nostrum Angelorum* curæ
solertiæq; commisit, ut sic vulnus morte paterna acceptum coire aliquâ ex parte
videretur. *Angelos* dum nomino, *Leſtorem Benevolum*, tunc temporis Lycéo Chemni-
censi,

(1) Similia eruditorum embryonum fœta, ex quibus exemplum Viri erudita pietate, piæque eruditione Celeberrimi,
Christiani Scrieri, ad nostrum proximè accedit, collegit M. Johannes Gottlob Pfeifferus in Disert. Lipsi,
A. 1696. habita, cujus titulus: *Eruditum Θαυμασθὺν* in ætate tenerâ.

censi, excepto *Ruperto*, Cantore, non nisi *Angelos* præfuisse, non ignorare volo; unde & Noster in scripto, quo nonnulla vitæ suæ memorabilia ipse consignavit, gratâ mente manuq; se à puero bonis *Angelis Duobusq; Doctõribusq; usum*, est confessus. Rectoris nempe partes summâ cum laude tunc egit *M. Tobias Engel*, post *Freibergensium* ad D. Petri Pastor Vigilantissimus; ConRectoris munere functus est *Johannes Engel*, huic officio immortalis; Collegæ Tertiî Spartam fideliter administravit *M. Mauritius Engel*, post *Rochlicensium* Superintendens Gravissimus; Scholæ vero *Bacalareus* fuit *David Engel*, Vir laborum admodum patiens. Ab omnibus his mirificè amatus fuit *Noster*, præcipuè vero à Rectore, qui ex adolescentis ingenio studioq; singulari singularè capiebat voluptatem, atq; egregio discendentem instruebat testimonio. *Witrebergam* delatus, id quod verno anni 1671. tempore factum, non nisi ea parabat, meditabatur, cogitabat, quæ esse debent in homine docto. Avidissime namq; ex ore Virorum Doctissimorum, adjunctus ex patriâ Stipendio, pependit, ac in Philosophiâ non minus ac Philologia à *Stalbergio*, *Paschio*, *Fesslio*, *Hilligero*, *Röhrenseno*, *Schurzfleischio*, *Greenio*, *Samuele Benedicto Carporio*, (at à quantis viris!) in Theologia à *Calorio*, *Meisnero*, *Quenstedtio*, *Deutschmanno*, ac *Pomario* egregiè profecit. Ex suggestu ad populum verba utiliter facere docuit ipsum inprimis *Frenzelius*, cujus ductu & in aliis usus est, atq; sub ejus præsidio de *Causis Corporum Cruentorum* publicè disputavit. Primos industriæ fructus alma *Leucoræa*, cum Anno 1673. Magistri titulo ipsum condecoraret, porrexit, majores patriâ sponndit. Postquam enim, relicta ob paupertatem *Academia*, & hic & in vicinia nobiliorum quorundam Parentum liberos bonis artibus, ad quintum ferè annum, summâ fide instruxerat, *Nobilissimus Patriæ Senatus*, hac informandi dexteritate percepta, *Johanni Engelio*, Con-Rectori, quem supra diximus, ipsum A. 1678. die quinto Augusti, Substitutum, & claspõ vix anno, Successorem dedit. Quam laboris plenissimam provinciam per duodecim annos non sine summo discentium emolumento cum gessisset, placidè mortalium rebus à Deo evocato *M. Gabrieli Arnoldo*, Rectori Scholæ Celeberrimo, Deo ac Patronis sic volentibus, A. 1690. successit, & postea *Sisyphium* hoc saxum sedecim annos & dimidium volvit. Quanta integritate, quanto sudore muneri huic præfuerit, nemo est, qui nesciat. Si diligentia nobilitavit *Aristotelem*, cujus domus (2) *Leçtoris domus*, ob continuum laborem, à *Platone* fuit appellata; si eadem nobilitavit *Galenum* & *Johannem Grammaticum*, quorum alter *Φιλόσοφος*, alter *Φιλοποιεύτωνος* fuit dictus; certè in *Nostro* quoq; tanta erant industriæ ornamenta, ut nec *Momum* judicem recusare deberet. Ad libros scribendos ipsi non facultas, non eruditio, sed tempus defuit, quod omne commissæ suæ fidei juventuti ita dabat, ut nunquam non omnia in illam, si modo posset, transfundere allaboraret. Scripsit tamen quam plurima Programmata Actus discipulorum & Oratorios & Valedictorios indicentia, & pleraq; quidem stylo inter *Oratorium* & *Poëticum* medio, lapidario scilicet, ceu argutas *Inscriptiones doctissimus Emanuel Thessaurus* (3) appellat. Multa scribenda restarent, si chartæ spatium sufficeret. Monendum esset *Viri* conjugium A. 1679. cum *Virgine* omni Virtutum genere ornatissima, *Maria Wahlia*, *Christophori Wahlii* civis inter nostrates quondam primarii filia, nunc mæstissimâ viduâ, contractum, cui non svavitas, non fides in iteratis sæpius dilectæ Conjugis morbis magis magisq; crescens, non amor, sed amoris pignora liberi (4) defuerunt. Mentio injicienda foret *Bibliothecæ*, quam *Schulzeus*, avidissimus librorum heluo, selectissimam & satis etiam numerosam possedit. Ast hæc & alia plura sicco prætervehi pede cogor, id unum adhuc memoraturus, quod per aliquot menses dyspnoea & anghela tussi ita vexatus, ut domi se tenere necesse habuerit, præter opinionem omnium repentina quidem, sed placida & beata morte, d. 16. Februar. cælestia

(1) teste Melchiore Zeidlero in Introductione ad Lect. Aristot. p. 9. & 10.

(2) in Idea arguta & ingenioisæ dictionis c. 22. p. 193. seqq.

(3) id quod felicissimis accidere probare conatur verbis *Verulamii Becmannus* in *Medit. Polit. c. 8. p. 112.*

Ze 4210 M

VD 18
x 304 7924

lestia cum mundanis commutaverit. Nunc omnes vitæ molestias, omnes animæ hostes fortiter superavit, nunc in cælis triumphat. O triumphum excellentissimum! O victoriam præclarissimam! Hanc prælagiens animus non nisi victorias meditatus est. Cum scilicet nonnulli Juvenes ex Lyceo nostro abituri desiderium ad altiora aspirandi aperirent, voluit, ut sub discessum, quas superior annus habuit victorias, celebrarent. Primus horum est

Johannes Christophorus Reussius, Seyfferbac. Misp.

Hic per omne id tempus, quo certum discentium apud nos auxit, suam & modestiam & probitatem & diligentiam Magistris approbavit, eosq; studiorum, Dei gratia, quæ pænunquam carent, adeptus est profectus, ut nulli dubitemus, quin admodum Reverendi Patris vestigia, si in cursu cæpto strenuè pergat, aliquando sit lecturus. Et huic celebranda data est *Gloriosissima in Gallis edita à Confederatis Strages per Belgium Hispanicum*. Excipiet hunc

Carolus Fridericus Stegerus, Dorffschellenberg. Misp. qui licet ingenio, quod

Dei donum est, non planè par sit fratri nimis mature è visis abrepto, *M. Wolffango Stegero* (5); attamen assidua diligentia multas hactenus difficultates vicit, vincet & Deo juvante, reliquas omnes, ut plurimum Reverendo Patri in senio esse solatio ac levamento possit. Verba hic faciet *de Auspicatissima Barcelona per Ducem Andegavensem vexatissima à Carolo III. facta à Vindicatione*. Sequitur inter discipulos

Christophorus Naumannus, Chemn. Misp. qui à Parente Musica Instrumentalis peritiâ inter nos notissimo Musices non tantum amorem, sed à Magistris quoq;

pietatis & literarum studium à teneris sibi instillari passus nunc cum laude ad altiora tendit, & ante abitum diligentia & profectuum specimen daturus exponit *Victoriosissimam Augustæ Taurinorum e Gallorum manibus & funestis flammis Ereptionem*. Comitem his se jungit

Johannes Christianus Schifflnerus, Chemn. Misp. qui cum paulò serius ex

mola, cui ortum suum se debere non negat, ad scholam venerit, tarditatem industria semper compensare studuit, ac ulterius, si bene eum novi, studebit, thuraq; non habens mola falsa litabit. Impresentiarium *Mediolani felicem felicem omine recuperatam Libertatem* sistet. *Naumannus* suo & reliquorum nomine ultimum Vale carmine Epico nobis acclamabit, ac propterea ultimus surget. Quo factò λόγον προσημικῶν habebit, ac fausta abeuntibus precabitur carmine Elegiaco, si prius breviter *de felicissimo Regnorum Valentie & Arragonie* ad Caroli partes accessu egerit,

Christianus Fridemannus Martini, Grünhajn. Misp. Abs Te, L. B. cui non

sordent humaniores literæ, ut limina nostra Scholastica honorifica Tua præsentia dignari, atq; sic juventutem currentem incitare, dormientem excitare velis, etiam atq; etiam, si quid primæ preces valent, peto atq; contendo.

(5) de quò Vir Summè Reverendus, Dn. D. Georgius Heinricus Götzius Concion, Miscell. P. I. p. 144. omninè videndus,



F.V. 67

De vita Godof. Schulz. Rector.
Chemnitz

Ze
4210

I. N. J. C. C.

Ad

ACTUM VALE

qvò

Superioris An

in Schola, die 13. April.

post matutina Sacra, publicè

pro iis gratiæ a

MAXIME VEN

NOBILISSIM

DNOS INSPE

PATRO

ET OMNES LITERARU

eâ, qua par est, obse

invitat

M. DANIEL M

Rector Sch. Chem

Chemnitii, typis Conradi

